

recognoscens^u illud esse verum corpus Domini nostri Ihesu Christi salvatoris sui et omnia alia que fidelis debet recognoscere christianus.

Sig † num^v Raimundi Escorna dicti domini regis scriptoris et notarii publici qui hec scribi fecit et clausit in Villafrancha die et anno prefixis.

III.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, die Veneris, tercio nonas Novembris in Villafrancha. Illustris dominus P(etrus) Dei gracia rex Aragonum, volens aliqua addere in ordinacione seu testamento per eum iam facto, mandavit per me notarium infrascriptum in hunc modum fieri codicillos.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen.

§ 1. Nos P(etrus) Dei gracia rex Aragonum, existentes^w in nostro pleno sensu et memoria, infirmitate detenti, eligimus sepulturam nostram in monasterio sanctarum Crucum. Cui monasterio dimittimus castra et loca nostra vocata Fores et Ça Real et Cabra cum hominibus, feminis, redditibus, exitibus et proventibus et omnibus iuribus universis que ibi habemus et habere debemus, volentes quod loca predicta et homines eorundem sint immunia seu immunes a prestacione cene regalis et exercitu et redempcione exercitus et questie¹⁾ et ab omni exaccione regali. Ita eciam quod^x racione defensionis terre vel alia quacumque racione que dici seu excogitari possit successores nostri et officiales eorundem quocumque nomine censeantur non possint a dictis locis et hominibus eorundem aliquid petere, exigere nec habere ex predictis de causis vel aliqua alia racione. Et quia homines dictorum locorum habent privilegium^y quod a corona regia seu successoribus nostris non recedant nec in aliam personam alienentur, rogamus, sicut possumus, homines predictorum locorum quod in presenti nostra ordinacione aliquod obstaculum non opponant. Cum a predictis exaccionibus velimus ipsos homines fore liberos et immunes, ut melius sint imperpetuum nostre anime obligati, et utilius tam in elemosinis quam sacrificiis de predictis locis et hominibus eorundem valeat pro anima nostra fieri servicium Deo gratum.

§ 2. Item volumus quod monasterium Populeti habeat castrum et villam vocatam Apiaria, sicut dimissum seu legatum fuit ipsi monasterio per dominum Iacobum inclite recordacionis regem Aragonum patrem nostrum.

§ 3. Item dimittimus elemosine sedis Barchinone ducentas duplas auri^z. Item operi ecclesie sedis Ilerde ducentas duplas auri^z. Item operi ecclesie sedis Tarrachon(e) ducentas duplas auri. Item operi ecclesie sedis Oscen(sis) ducentas duplas. Item operi sedis ecclesie Tirason(e) de^{zz} Orta ducentas duplas. Item dimittimus operi ecclesie sancti Salvatoris Cesàraug(uste) ducentas duplas. Item dimittimus operi ecclesie sedis Valencie ducentas duplas. Item operi ecclesie

u) recognoscentes AArP

v) Signum — prefixis fehlt Ar P

w) existens S

x) quod eciam Ar

y) privilegium seu privilegia Ar

z) auri — auri über der Zeile nachgetragen (Augensprung!) Ar

zz) In A (unter Rasur) ArCS folgt: la

¹⁾ vgl. Du Cange, Gloss. 6 (1886) 589, s. v. quaestia; Klüpfel, Verwaltung S. 137 f.